

I.

RESPONSA

S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE ET S. C. INDULGENTIARUM

QUIBUSDAM DUBIIS PROPOSITIS

*Occasione Indulgentiae Plenariae in forma Iubilaei,
quam Sanctissimus Dominus Noster PIUS PP. IX. benigne concessit
Apostolicis Litteris diei 11 Aprilis 1869.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

Editis Litteris Apostolicis in forma Brevis die 11 Aprilis 1869, quibus SS^{mus} Dominus Noster P^{ius} PAPA IX. omnibus Christifidelibus Indulgentiam Plenariam in forma Iubilaei occasione Oecumenici Concilii concessit, hinc S. Congregationi Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum infrascripta proposita sunt dubia *praesertim circa ieiunia*, quae Christifideles servare debent, ut Indulgentiam huius Iubilaei lucrari valeant. Quibus sedulo perpensis S. Congregatio, benigne annuente SS^{mo} Domino, respondendum censuit prout respondet.

DUBIUM 1.

Inconcessi inris est, quod operibus alias praescriptis satisfieri non potest obligationi de operibus iniunctis ad acquirendas Indulgentias, nisi aliud constet expresse de mente Concedentis; nihilominus pro hoc Iubileo oritur dubium, quia in Litteris Apostolicis legitur "praeter consuetam quatuor anni tempera tribus diebus etiam non continuis, nempe quarta, et sexta feria, et sabbato ieiunaverint." Quaeritur an standum sit regulae generali, ita ut ad effectum lucrandi Indulgentiam omnes dies ieiunii ad quod quisque tenetur, vel dies ieiunii quatuor anni temporum duntaxat excludantur?

R. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.